

Bibliothèque numérique

medic@

**Allain, Denis - candidat / Port,
François du - président. - An viventis,
& mixti temperamentum unum ?**

1615.

Paris

Cote : ms 74 n°498

498

QVÆSTIO MEDICA

QVOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XII. FEBRVARII, M. FRANCISCO

DV PORT DOCTORE MEDICO MODERATORE PRVDENTISSIMO.

An viventis, & mixti temperamentum vnum?

NO STRI pars melior animus *Ζωή, το δὲ Σώμα, τὰ κινῆται ἀπὸ τοῦ*; vitæ, sensus, motus expers, corporis gaudet, dolérque consortio. Corpus animum, animus corpus infringit. Horum mutua victoria. Sanguis leticiam, amorem, mansuetudinem, prudentiam, & ad scientias aptitudinem infert. Bilis iram, audaciam, inconstantiam, propensitatem in venerem, cum ingenij acumine parit. Pituita metum, motus & sensus tarditatem & *ἀσθένειαν* conciliat. Melancholia stultitiæ parens, taciturnitatis comes *ἡ ἀσθένεια*, vt & sensuum omnium caliginem inducit. Hinc animiores corporis temperies constituit immutatque, non astra, non incantamenta. Eadem ipsos indicat, & aperit, non corporis habitus, non oculi, non nates, non aures, non pili. Rationis robur feroces animorum motus frenat, torpidos erigit & excitat.

ANIMANTIBVS omnibus homo præstat, cunctis vt natis imperet. Cuius ideo corpus est *σύνθετον ὁ ὁρμητικὸς*, facies illustris, figura recta, manus ad præstantissimum quoduis opus organum, sensuum omnium perfectio. Corpus materiam habet semen, & sanguinem: hunc quantitate & qualitate noxium, illud totâ substantiâ excrementum. Ab elementis oriuntur, eorumque qualitates (in quib. actiue duæ, duæ omnino passivæ) retinent, quarû ministerio miscentur, viuunt, alimentum, & augmentum capiont. Siccum velut fundamentum humido vincitur, calido vivit & conformatur, frigido temperatur. Humidum quod primigenium dicitur siccum terreste vnit, partes omnes perfundit, cum earum substantiâ dissipatur, & alimento per nutritionem (antiè partium conformationem feriantem) reparatur.

DISSIMILARE necessitate tale corpus, ex variâ cuiusque partis temperie, aptâ primarum qualitatum proportionem concinnatâ, vniûsq; elementi dominio, (solâ eute exceptâ) æstimandâ, suam crasim temperatissimam sortitur: quæ vt minimè morbosa, ita maximè longæva. Ex ætatibus puerilis *ὥσπερ*, vt ex tempestatibus ver: senectus hyemis locia, longè dissidet. Nobilis illa temperies, etsi frequens, inusta tamen à parentibus, aut errore proprio acquisitâ labe, ita defædatur, vt vir benè natus reperitur, aut incorruptus seruetur. Qui morbo prehensus, grauioribus detinetur symptomatis, difficiliorque resurgit, quàm quorum naturæ affectus consenserit.

TEMPERAMENTI cuiusvis iudex sensus, & ratio. Exauctè temperatum denotant actionum omnium integritas, habitus corporis *ὁ ὁρμητικὸς ὁ ὁρμητικὸς*, non quidem in summo (is enim periculosus est) sed medio, formæ pulchritudo, ingens corporis magnitudo, pili (è partium numero explodendi) crassi in puericia rufi, ætatis progressu nigricantes, cutis inter calidum frigidum, molle durum, hirsutum & glabrum media, genarum rubor, totius corporis dulcis & halituosus vapor, cæli solique clementia. Cuius *ὡς περ* mulieres, iuuenes, Europæ, Africæ, Americæ incolæ, non minùs quàm viri, pueri Asiatici possunt fieri participes.

INTEMPERIES octo, vnius vel duplicis qualitatis excessu constitutæ, actione propriâ, excrementorum colore, substantiâ & copiâ iudicantur. Viri calorem mulieres superant, humiditate vincuntur. Pueri adolescentibus calidiores sunt, minus siccis tamen. Ex viventibus, animalia calidiora sunt, ex animalibus *ὡς περ*, ex sanguineis quæ aërem trahunt, ex respirantibus, quæ testes forinsecus appensos habent, ex his *ἀπὸ τοῦ* Mixtorum, vt & medicamentorum temperies, ab iisdem elementis orta sensus latet, nec nisi subobscurè visui, odoratui & gustui sese promit, effectu certo dignoscitur. Calida à nativo calore, frigida à seipsis operantur. Mixta plus aque & terre, viuentia plus ignis & aëris obtinent.

Ergo viventis & mixti temperamentum vnum.

Asserebat Lutetiæ DIONYSIVS ALLAIN Parisinus, Anno R. S. M. DC. XV.

DOMINI DOCTORES DISPUTAVRI.

M. Franciscus le Sage.
M. Georgius Cornary.
M. Guillelmus du Val, Prof. Reg.

M. Ioannes Akakia.
M. Gaspard Brayer.
M. Nicolaus Henault.

M. Nicolaus Marchant.
M. Franciscus du Port, Pres.
M. Ioannes Beauchesne.